

ROSAS, ANTON EDLER VON

**Vera fistulae sacci lacrymalis notio et
sanandi methodus.**

Schmidt
Viennae
1814

EOD – Millionen Bücher nur einen Mausklick entfernt! In mehr als 10 europäischen Ländern!



Danke, dass Sie EOD gewählt haben!

Europäische Bibliotheken besitzen viele Millionen Bücher aus der Zeit des 15. – 20. Jahrhunderts. Alle diese Bücher werden nun auf Wunsch als eBook zugänglich – nur einen Mausklick entfernt. In den Katalogen der EOD-Bibliotheken warten diese Bücher auf Ihre Bestellung - 24 Stunden täglich, 7 Tage die Woche. Das bestellte Buch wird für Sie digitalisiert und als eBook zur Verfügung gestellt.

Machen Sie Gebrauch von Ihrem eBook!

- Genießen Sie das Layout des originalen Buches!
- Benutzen Sie Ihr PDF-Standardprogramm zum Lesen, Blättern oder Vergrößern. Sie benötigen keine weitere Software.
- *Suchen & Finden*: Mit der Standardsuchfunktion Ihres PDF-Programms können Sie nach einzelnen Wörtern oder Teilen von Wörtern suchen.*
- *Kopieren & Einfügen* von Text und Bildern in andere Anwendungen (z.B. Textverarbeitungsprogramme)*

* Nicht in allen eBooks möglich.

Allgemeine Geschäftsbedingungen

Mit der Nutzung des EOD-Services akzeptieren Sie die allgemeinen Geschäftsbedingungen. Die Benutzung erfolgt ausschließlich für private nicht kommerzielle Zwecke. Für alle anderen Zwecke kontaktieren Sie bitte die Bibliothek.

- Allgemeine Geschäftsbedingungen in Englisch: <http://books2ebooks.eu/odm/html/muw/en/agb.html>
- Allgemeine Geschäftsbedingungen in Deutsch: <http://books2ebooks.eu/odm/html/muw/de/agb.html>

Weitere eBooks

Schon über 30 Bibliotheken in mehr als 12 europäischen Ländern bieten diesen Service an.


Finden Sie weitere Bücher zur Digitalisierung: <http://search.books2ebooks.eu>

Mehr Information: <http://books2ebooks.eu>


I. Universitäts-Augenklinik in Wien.

Institut für Geschichte der Medizin
Wien

D 4 756



August
July 1890. J. K. Rogers



D i s s e r t a t i o

inauguralis

medico - chirurgica,

quae,

rejecta Fistulae lacrymalis idea,

veram

Fistulae sacci lacrymalis

notionem, et sanandi methodum,

excepta

[occlusi ductus nasalis operatione,

proponit,

atque consensu

Illustrissimi ac Magnifici Domini
Praesidis et Directoris, nec non
Clarissimorum Dominorum Pro-
fessorum,

pro Doctoris Medicinae laurea obtinenda

in Antiquissima ac Celeberrima Universitate
Vindobonensi benevolo Artis peritorum exami-
ni offertur

per

A n t o n i u m R o s a s,

Hungarum Quinque - ecclesiensem, Artis Ophthalmiatricae
Magistrum.

In Theses calci operis adnexas disputabitur in
Universitatis Palatio

die 17^{te} Mensis Nov. 1814. hora 12.

V i e n n a e,

Typis Math. Andr. Schmidt.

M. DCCC. XIV.

1814



2043/4821

**Geschenk
I. Augenklin.
1976**

BIBLIOTHEK DER I. AUGENKLINIK

Pr o æ m i o n.

Quum mihi, summos in Medicina honores consecuturo, aliqua pro legum altissimarum effato concinnanda esset dissertatio, magna profecto in themate, quod scopi dignitatem aequaret, seligendo difficultas oborta fuit.

Cum vero rerum chirurgicarum copiam perlustrans, multas antiquissimae hujus scientiae medicae partis materias inertī calamo descriptas, multas altis obvolutas tenebris ad nostram aetatem transiisse observarem, atque felix simul Artis peritorum, qui lacunis hisce explendis suam exercent industriam, mirarer conamen, deesse mihi non potui, quin e chirurgico foro dissertationis peterem argumentum.

Veniam dabunt Eruditi Lectores, quod thema a Celeberrimis jam Viris iterato pertractatum rursus in medium proferre sit temeritas. Ipsae diversae circa naturam, sanatio-

nemque morborum, qui vias lacrymales tenent, Auctorum opiniones, praeprimis autem frequens similium malorum sub Celeberrimi Professoris Beer, Moderatoris perpetuo colendi, auspiciis biennio facta observatio, sufficientem audendi dederunt animum.

In pertractanda materie is ordo praeluxit, ut totum opus in duos tractatus disjungerem, quorum prior generali fistulae notione praemissa, adlatas tam venerandae antiquitatis, quam recentioris nostrique aevi circa indolem therapiamque malorum, quae fistulae lacrymalis veniunt nomine, everteret opiniones; alter vero fistulae sacci lacrymalis notionem veram, rectamque sanandi methodum proponeret.

In quantum teneris ingenii moliminibus optatum finem fuerim assecutus, benevolis Lectoribus dijudicandum relinquo, quorum aequitati totum me substerno.

Tractatus I.

De fistula lacrymali diversorum Auctorum.

Fistulae nomine omnis aevi Pathologia comprehendit ulcus sinum formans longitudinalem, angustum, orificio uno vel pluribus instructum, et callosis marginibus circumdatum.

Non obstante tamen hac generali notione, non semper ea rite usos fuisse Auctores ad speciales morborum, quas huic natura familiae accensitas voluit, formas designandas, viarum lacrymalium mala quam evidentissimum sistunt documentum,

Tam obscurus equidem plerorumque Artis-
peritorum de his est conceptus, ut ea passim inter se confundere, plura nusquam exacte describere, atque alia, quae fistulae nullatenus merentur nomen, ab invicem non discreta, communi atque prorsus incongruo fistulae lacrymalis complecti termino soliti fuerint.

Circa quod momentum ne dubium remaneat quoddam, Auctorum de fistulae lacrymalis natura et sanatione ideas praevis adduxisse, hisque criticam subjunxisse disquisitionem quam maxime necessarium rati sumus. Ut vero id exactius fiat, tractatum in duas Sectiones, singulas vero harum in bina Capita dispescimus.

S e c t i o I.

Idae Auctorum de fistulae lacrymalis natura et sanatione.

Caput primum.

Idae de natura morbi.

Varias variis de morbi hujus natura, sanandique modo fuisse ideas, omnium temporum satis superque comprobat experientia, atque dum a nostra aetate ad prima salutiferae artis usque ascendimus incunabula, et omnis aevi Medicorum, qui laboranti lacrymarum itineri suppetias ferre nitebantur, scripta perlustramus; nullius fere in Chirurgia morbi theoriam, nullius sanationem tot tantisque implicitas cernimus dubiis, ac eas fistulae sic dictae lacrymalis. Alias omnino colit opiniones veneranda antiquitas, alias recentius tuetur, alias demum nostrum sibi vindicat aetum,

I. *Veteres* fistulae lacrymalis nomine diversos ad canthum oculi internum et radicem nasi insigniunt morbos, moxque anchylopem, mox et aegilopem, quae saepius inter se confundunt, ut synonyma illi considerant mala. Ita rem esse discimus e cunctis, quibus antiquitas inclaruit, virorum scriptis. Testimonium perhibent: *Galenus a)*, *Celsus b)*, *Aegineta c)*, *Fallopianus d)*, *Severinus e)*, *Dionysius Gallus f)*, atque Arabum Scriptor *Avicenna g)*, quorum quidem nonnullis tam exigua sedis morbi est cognitio, ut eam in caruncula lacrymali quaerendam existiment.

II. *Recentiores artis medicae Antistites*, qui melioribus anatomico-physiologicis organorum lacrymalium cognitionibus imbuti, antiquorum vitia singulari studio emendare conabantur, in duplicem circa fistulae lacrymalis naturam abeunt sententiam: quidam morbum ut mere localem contemplantur, alii complicationum simul universalium habent rationem.

a) T. II. de tumor. praetern. p. 168. Ed. Gesn.

b) L. V. C. XXVIII. p. 328.

c) Libr. IV. de re medica Cap. IV.

d) Tom. II. de vuln. Cap. VIII. p. 243. Ed. Raph.

e) Libr. II. Pyroth. chirurg. p. 1. Cap. III. p. 20.

f) Cours d'opérations de Chirurgie, demonst. VI. p. 468.

g) Libr. IV. Fenel. IV. Tract. III. Cap. IV. Ed. Gerard, Crem.

Priorum rursus nonnulli antiquorum sequuntur vestigia, atque le *Dranio h)*, *Vilarsio i)*, *S. Yvasio k)* Auctoribus fistulam lacrymalem eundem cum aegilope statuunt morbum.

Alii differentem ab hac tuentur opinionem, atque pars cum *Heisterio l)*, *Platnero m)*, *Garengeot n)*, *Gortero o)*, bleñorrhoeam omnem sacci lacrymalis, sive mucosa ea fuerit sive purulenta, lacrymalis fistulae designant nomine; alii, inter quos *Sharp p)*, *Monroe q)*, *Jac. Christ. Vogel r)*, *Louis s)*, *Lud. Petit t)*, *Blizard u)*,

h) Traité des opérations de Chirurgie. p. 302.

i) Traité de Chirurgie. T. IV. Ch. IV. p. 301.

k) Nouvelle traité des maladies des yeux. Chap. II. pag. 59.

l) Operat. Chirurg. Tom. I. Sect. II. Cap. 64. p. 354. Amstel.

m) Tom. I. Opusc. dissert. 1. p. 13. et Instit. Chirurg. ration. §. 957.

n) Traité d'opérations de Chirurgie. T. III. Ch. IV. p. 60.

o) Chirurg. repurgatae. L. V. Cap. X. p. 254.

p) Treatise on the opérations of Surgery. Chap. XXX.

q) Medical Essays and Observations, Edinb. T. III. p. 358.

r) Tract. de fistula lacrymali. Gryphiswaldae 1757. E. 1.

s) Mémoires de l'Académie de Chirurgie. p. 193.

t) Mémoires de l'Académie Royale des sciences. p. 345.

u) A new method of treating the fistulae lacrym.

Pot v), *Anel x)*, *de la Forest y)* etc. morbi ejus essentiam in ductus nasalis obstructione repouunt, dicentes illum lacrymarum purisve ad internum oculi canthum ex obstructo ductu nasali profluvium.

Qui in stabilienda fistulae lacrymalis notione universalium simul complicationum meminerunt, *Richtero z)*, *Callisenio aa)*, aliisque Auctoribus, omne lacrymarum ex impedito in narium cava transitu stillicidium fistulae titulo notant, neque in obstructo solum ductu nasali, sed et in canaliculis saccoque lacrymali oclusis, aut alio quocunque demum modo affectis et in functione turbatis morbi ponunt rationem.

Assumit porro Cel. *Richter* duplicem fistulam lacrymalem: spuriam nempe et veram, cujus posterioris rursus tres species, et quatuor gradus notat.

III. Nostri aevi, qui fistulae lacrymalis nomen retinent, *Artisperiti*, *Galli* praecipuis et

v) *Abhandlungen von der Thränenfistel und Mastdarmfistel.*

x) *Nouvelle méthode de guérir la fistule lacrymale.*

y) *Mémoires de l'Académie de Chirurgie.*

z) *Anfangsgründe der Wundarzneykunst. 2r Band.*

aa) *System der neueren Wundarzneykunst. Löffelbogen 1798.*

Itali, *Wenzelio bb)*, *Scarpa cc)*, aliisque principibus, morbum cum blenorrhoea sacci lacrymalis idem esse credunt vitium.

Ast sub tam diversis de mali natura notionibus, variam quoque viguisse medelae rationem in sequenti capite apparebit.

Caput secundum.

Therapia fistulae lacrymalis varia.

Veteres Hippocrate, Celso, Galeno, aliisque testibus, cujuslibet fistulae lacrymalis therapiam eo absolvi docent, ut ulcus et fistula aperirentur, vel si exterius jam fuerint aperta, recenti incisione diducerentur, caries vero vel septicis, vel rasorio, vel causticis, vel ferramento ignito tolleretur; nullam lacrymarum ad nares transitus habent curam.

Recentiores diversas adstruunt medelae rationes, quae cunctae in eo conveniunt, quod ductum nasalem, quem nonnulli ut causam, alii ut effectum, aut cæffectum morbi considerant, ante omnia restituendum esse contendunt. Ipsum tamen hunc finem variis adsequi nituntur mediis,

bb) Manuel de l'Oculiste ou Dictionnaire ophthalmique.
Tom. I. Paris 1808. L. 285.

cc) Praktische Abhandlung über die Augenkrankheiten;
übersetzt ins Deutsche von Martens. Leipzig 1803.

atque localem solam nonnulli, universalem simul alii praediligunt medelam. Sequenti tabella diversas eorum methodos expressisse sufficiat.

I. *Localis mera*

A. quae normalem lacrymarum viam restituit

1. remediis a superiori viarum lacrymalium tractu adhibitis.

Assentiuntur huic methodo Georg. Ern, *Stahl dd)*, *Anel, L. Petit, Heister ee)*, *la Faye ff)*, *Mejan gg)*, *Cabanis hh)*, *Blizard* aliique,

2. remediis ab inferiori viarum lacrymalium tractu adhibitis.

Huc spectat *de la Forest*, ejusque asseclae,

B. quae novam lacrymis viam arte parat.

Huic favent *Woolhousen ii)*, *S. Yves* et *Lamoirier hh)*.

II. *Localis, medela universali juncta.* Tuetur hanc Cel. Aug. Gottl, *Richter ll)*.

dd) Progr. de fist. lacrymali Dissert. de affect. oculi annexum. Halae Magd: 1702.

ee) l. c.

ff) In Maget, theatr. anat. T. I. L. IV. Cap. III.

gg et *hh)* Mémoires de l'Academie de Chirurgie.

ii) In Platneri opere l. c.

kk) Mémoires de l'Academie Royale des sciences 1729.

ll) l. c.

Recentissimi artisperiti in Gallia et Italia fistulam lacrymalem, bleñorrhæae substitutam mechanicis (compressoriis hoc scopo paratis) intendunt devincere *mm*).

Expositis hucdum diversorum de fistulae lacrymalis natura et sanatione opinionibus, criticam disquisitionem earundem sequenti sectione complectemur.

S e c t i o I I.

Critica opinionum diversarum circa fistulam lacrymalem indagatio.

Caput primum.

Indagatio notionum de natura morbi.

Si diversas, quas tum Veteres, tum et Recentiores, nostrique aevi plures de morbis viarum lacrymalium foveant opiniones, accuratiori paulumper subjiciamus examini, patet, illis morbi, cui fistulae nomen proprie convenit, veram distinctamque notionem non fuisse.

Impingimus hic loci in generalem, et aliis quoque eorundem definitionibus communem errorem: quod

1. Rectam causarum, sedis et symptoma-

tum laesae alicujus functionis aut instituere non noverint, aut neglexerint distinctionem, hinc essentialia pro accidentalibus, haec pro illis habuerint phaenomenis, sicque in veram morborum naturam haud penetrarint;

2) quod morbi formam aptis nominibus, quae causam laesionis, sedem mali, et proprium phaenomenorum characterem una exprimerent, consignare non sciverint.

Atque primus illorum statim in conspectum prodit error, ubi cunctis lacrymarum in narium cava prohibentibus transitum, et ad internum oculi canthum malis eandem subesse naturam, eandemque ubivis convenire therapiam judicarunt. Quae notio physiologicis aequae ac pathologicis repugnat principiis:

Si etenim organa, quae natura interno oculi cantho tradere, et lacrymarum in nares delationi sacra voluit, diversam possident structuram, diversa quoque in iis mixtionis materiae organicae ratio, atque diversa hinc etiam actionis vitalis quantitas, qualitas, et pro stimulorum influxu receptivitas esse debet. Quare eadem licet potentia morbifica non eosdem tamen ubivis locorum provocabit effectus, verum emergens nova morbi forma, utut generali respondeat laesionis indoli, per ipsam nihilominus propriam partis cujuslibet organisationem, propriam quoque sui manifestabit modificationem. Inde stimu-

lus inflammationi provocandae par aliter eam in cute, aliter in membranis mucosis, aliter in fibrosis etc. harum partium modulatam exhibere debet. At si jam vel idem stimulus tam diversos in diversis organis ponere valet effectus, quam differentes morbi formae ibi non aderunt, ubi organa diversae structurae diversorum quoque stimulorum experiuntur actionem? —

Neglectis causis, sedeque morborum neque ad veram symptomatum cognitionem viri illi unquam devenire potuerunt, quatenus ea in diversae naturae morbis singillatim analogae quandoque occurrunt, jamque ut essentialia, jam vero ut accidentalia comparent phaenomena.

Sed nec apta morbos hosce complexi fuere nomenclatura, ubi cunctos fistulae, et quidem incongruo lacrymalis comprehenderunt termino. Cum enim illa obtinet cogitantis humanae mentis lex, ut, qui generi cuidam proprius est, character ad subordinatas quoque species extendatur, nota fistulae definitione generali, recta conclusione fluit, eandem etiam in specie ut ulcus sinuosum, callosumque definiri debere: quod in eorum scriptis nusquam est deprehendere, quatenus diversis morbis ad fistularum ordinem nullatenus referendis, fistulae, et quidem cum epitheto la-

crymalis, quo nec causae, nec sedes morbi, nec therapiae ratio illustrantur, tribūnt nomen.

Intenti demum praedominanti unice symptomati, necessariam in therapia adstruenda morborum lacrymalium complicationem, aut prorsus praeterviderunt, aut saltem imperfecte attigerunt.

Hisque praemissis facilius jam est singulorum, de quibus supra locuti fuimus, Auctorum exactis disquirere notiones.

Multum imprimis peccant, quibus omnis Aegilops, vel et Anchylops pro eodem cum fistula morbo definitur, et tractatur. Viri hi malum, quod fistulae sacci lacrymalis ut praeludium quandoque servit, alias vero eandem comitatur; pro eodem cum illa considerarunt morbo, et non alia, quam unica solum impugnare noverunt mendendi ratione. Observamus hunc errorem in libris plurium Antiquorum, at cernimus quoque eundem in scriptis nonnullorum recentioris aevi Auctorum. Exprobramus eum Galeno, Celso, Aeginetae. Fallopio, Dionysio, Vilarsio, le Dranio, S. Yvesio, aliisque.

Anchylops aequae ac *Aegilops* ut eadem cum fistula sacci lacrymalis vitia spectari nequeunt: sistunt enim erysipelas cutaneum ad canthum oculi

li internum in inflammationis, aut suppurationis stadio constitutum, quod cum similibus sacci lacrymalis morbis facile quidem confunditur, cautam nihilominus indagationem, et observationem phenomenon, causae, sedisque haud difficulter dignoscitur.

Anchylops erysipelatosus ab inflammatione sacci lacrymalis differt; quod characteres omnes praeseferat erysipelatis palpebrarum; quod tumorem sistat per faciem dilutum, non durum, nec adeo dolentem, laete rubrum: inflammatio sacci lacrymalis autem tumorem manifestet fabae formam referentem, durum, circumscriptum intense rubrum, admodum dolentem, qui dum priori supervenit, in medio ejusdem eminet, vel saltem tactus ope sat prompte distinguitur.

Aegilops seu suppuratio cutanea ad canthum internum discrepat a fistula sacci lacrymalis, quod ex *Anchylope* praegresso inducatur, quod in saccum non penetret, verum tantum ulcera cutanea plus minusve profunda exhibeat, quae sub accedente causa sufficienti ipsum saccum lacrymale invadere, hujusque parietem anteriorem exulcerare valent. Distinguitur praeterea, quod sub pressione digiti minor materiae per orificia cutanea eliciatur quantitas, ac praesente sacci fistula, pus exoneratum nec lacrymis nec muco mixtum observetur, atque specilli ope in sacci lacrymalis cavitatem non concedatur aditus.

Elucet itaque ex his differentia Anchylopem inter et Aegilopem, inflammationem et fistulam sacci lacrymalis, gravisque Auctorum haec mala confundentium error.

Quod ad opinionem spectat illorum, qui bleñorrhœam sacci lacrymalis idem cum fistula esse malum, aut hanc semper ex obstructione ductus nasalis prosilire existimarunt: his certe memoratae notiones non fuissent, si in naturam originemque horum malorum exactius aliquantum suam convertissent attentionem.

Si enim fistula sacci lacrymalis ulcus est, atque hinc suppurationis species, necessario etiam sequitur, eam absque praegressa organi memorati inflammatione formari non posse, atque ideo in hac qua fundamento radicari. Hoc vero ita esse perspicitur, si ad naturam ulceris, item ad ea, quae durante suppuratione contingunt phaenomena, solertius advertamus.

Omnis suppuratio praesefert summum cohaesionis in parte productiva decrementum, illumque naturae nisum, quo ea mediante vi reproductiva incitata partes processu dinamico morbosio destructas eliminare, atque novis structurae et functioni affecti organi congruis resarcire conatur. Phaenomenon hujus operationis naturae manifestum cernimus in omni materie vere purulenta, in qua partes membranarum, vasorum, textus cellulosi etc. dissolutae comparent;

cernimus quoque in organi ipsius affecti superficie morbosa, in qua sub processu legitimae suppurationis minimae particulae granulorum forma elewantur, amissa, in quantum fieri potest, serius citiusve restituentes. Sed, si suppuratio phaenomenon exaltati nisus reproductivi constituit, quo per processum morbosum corruptae partes corporis novis resarciuntur, ea non alibi, quam ubi destructio illa praegressa fuit, locum habere potest; ille igitur processus, qui hanc molitur, suppurationis quoque et fistulae includet rationem; cum vero is inflammatio sit *nn*); suapte procedit: omnem suppurationem non aliter, quam praegressa inflammatione generari.

Utut vero suppuratio quaelibet inflammationis sit effectus, procul tamen abest, ut omnis inflammatio necessario semper ponat suppurationem: licet enim per eandem materiae organicae attentetur corruptio, non tamen ideo vera sequitur omni in casu partium desorganisatio.

Aliquando aequilibrium Systematum in conflictu haerentium citius redit, quam tanta compagis organicae in sua cohaesione obtineat imminutio, ut functionis cujusdam alienatio et materiae corruptio gigneretur. Hoc in casu fieri dicimus inflammationis resolutionem, quae tamen

nn) Werr's Lehre von den Augenkrankheiten als Festsaden zu seinen öffentl. Vorlesungen: Wien 1813.

ob acrem systematum contra invicem pugnam praegressam debilitatis directae speciem praeserferet, qua stante stimuli externi consuetique influxus minus ac in statu sano ferentur. Atque orietur hoc pacto, si inflammatio membranam mucosam occupavit, ea mitigata uberior muci secretio, qui tamen mucus sub adaucta atque absorptioni non respondente organi secernentis activitate, necessariis ad sui fluiditatem justam mox spoliabitur particulis, spissioremq; inde referet consistentiam. Vocamus hanc muci secretionem *Bleñorrhoeam*, in specie vero, si saccum lacrymalem occupet *Bleñorrhoeam sacci lacrymalis*.

Durante hac *Bleñorrhoea*, si interna sacci lacrymalis et ductus nasalis membrana simul tumeat, quod in majori vel minori gradu semper accidit, muci in narium cavum eliminatio intercipitur, is in sacco lacrymali minorem tunc resistantiam opponere valente accumulatur, ejusque parietem anteriorem compage ossea non defensum sensim atque sensim extendit, qui status *Herniam sacci lacrymalis* Cel. Prof. Beer dictam, atque obstructionem ductus nasalis manifestat.

Ipsa *Bleñorrhoea*, quatenus debilitatis sacci lacrymalis ab inflammatione levissima membranae ejus pituitariae perstantis sistit effectum, accedentibus recenter potentiis noxiis, indutisque iteratis inflammationibus, indirectae tan-

dem debilitati, quae sub phaenomenis suppurationis in conspectum prodit, locum concedit.

Alias sub maximo inflammationis vigore nisus vis productivae altior emergit, plusque in materiae corruptae locum resarcitur, quam in consuetum oeconomiae animalis usum opus sit. Evenit id, ubi firma et plethorica subjecti constitutione praevalente ex actionis vitalis enormitate uberior materiae fibrosae et coagulabilis obtinet secretio. Tunc saepe partes, quas natura separatas voluit, junguntur; aliae recentes nervis vasisque instructae formantur, cava abolentur, coalitis quippe eorum per interpositam materiem albuminoso-fibrosam parietibus. Dicimus aberrantis hujus operationis naturae productum *concretionem, hyperorganisationem, indurationem*, et si in cavo occurrat, ejusque permeabilitatem tollat *Atresiam*.

Quandoque in acerrimo, quo systema irritativum et productivum in mutuam perniciem laborant, conflictu, irritabile summum consequitur dominii gradum; eo ipso productivum ad imum deprimitur, adeo quidem, ut hac conditione diutius persistente, vitae sustentationi in parte affecta amplius non valeat. Emergit hoc in casu illa inflammationis terminatio, quam gangraenam vocare placuit, summum vitalitatis in parte productiva decrementum, in irritabili augmentum,

At nunc, cum unum systema tantum per aliud subsistat, silente vita productiva irritabilis quoque a summo, quod defendit, fastigio, mox ad imum gradum detruditur, atque sic utraque abolita jam mors partialis jam universalis subsequitur, quae per putrescentiae phaenomena se declarans *Sphaceli* nomen gerit. Colligimus ex his:

- 1) Omnem fistulam, hinc et eam sacci lacrymalis, quatenus ulcus est, ex inflammatione praegressa semper generari. Eandem proin
- 2) uti et aliam suppurationem quamcunque, bleñorrhæam item, hyperorganisationem, indurationem, concretionem, atresiam, gangraenam et sphacelum mala esse inflammationi subordinata. Inter se autem
- 3) coordinata, atque ab invicem diversa, hinc nec bleñorrhæam sacci lacrymalis cum fistula ejusdem organi idem esse vitium, nec hanc in organi ejus obstructione fundari, verum cuncta ex eodem fonte profluere.

Bleñorrhœa inprimis eundem cum fistula sacci lacrymalis morbum non constituit, verum accidentalem nonnisi hujus aliquando sistit comitem ex inflammatione praegressa simul inductum. Distinguenda dein est bleñorrhœa in mucosam et purulentam. *Mucosa* a fistula sacci lacrymalis differt, quatenus illa a levissima inflammatione

in membrana pituitaria sacci lacrymalis adhuc delitescere ortum trahit, quae in secundo stadio suppurationis momentum nequaquam attigit, sed solummodo in primo secretionis nempe mucosae pathologicae momento permansit. *Purulenta* vero bleñorrhœa a fistula sacci lacrymalis discrepat, quod e simplici ejusdem organi ulcere, adeoque ex inflammatione membranae pituitariae non ita gravi, sed tamen in momentum suppurationis secundi stadii transgressa procedit, quin canalem ullum aut orificium formet fistulosum callo instructum.

Obstructio ductus nasalis falso ad fistulae essentiam refertur. Licet enim cum eadem non raro occurrat, non tamen causam, verum laterale tantum sistit phaenomenon; atque adest saepius absque illa, abest praesente ea, disparet interdum fistula persistente et v. v.; ut adeo diversum ponat omnino morbum, atque coëffectum fistulae sacci lacrymalis nonnisi constituere valeat.

Illi, qui omne lacrymarum ex impedito in nares transitu stillicidium fistulae nomine compellant, eo solum prae reliquis valent, quod universalium quoque complicationum habeant rationem; ceterum multo magis ac priores cuncti a vera morbi notione deflectunt; definitione sua enim nec naturam, nec formam morbi illustrant, verum symptomati minime essentiali omnem

suam tribuunt attentionem, siquidem stillicidium lacrymarum omnium quae carunculam, papillas, puncta, canaliculos et saccum lacrymalem, ductumque nasalem ita afficiunt, ut organa memorata lacrymis promovendis non valeant, phaenomenon constituere queat. Ipsae species, gradusque morbi, quos Cel. Richter adstruit, nullam protinus merentur considerationem: prima enim species, quam e ductus nasalis obstructione derivat, aequae ac altera, quam metastasibus adscribit, non existunt oo) illa vero, quam ut tertiam memorat, nil, quam herniam sacci lacrymalis Cel. Beer sic dictam manifestat. Ita etiam primus gradus cum hernia, aut et hydrope sacci lacrymalis coincidit, alter bleñorrhœam sacci refert, tertiusque solum et quartus proprium fistulae sibi vindicant nomen.

Universim ergo patet neque apud Veteres, neque apud Recentiores, nostrique aevi scriptores plures veram morborum vias lacrymales infestantium existere notionem. Sub tam manca vero cognitione nec aptam obtinuisse therapiam, e capite mox explanando apparebit.

oo) Vide Schmidt. Ueber die Krankheiten des Thränenorgans. Wien 1803.

Caput secundum.

Critica therapiae fistulae lacrymalis Auctorum indagatio.

Pravam fuisse cunctorum, qui notionibus mox recensitis instructi, fistulae lacrymali demandae operam impendebant, medelae rationem vel ex eo jam elucet, quod illa falsis principiis insistenti superstructa fuerit theoriae; magis tamen adhuc infelici, qui ejus usum faciebant, Virorum praxi commonstratur.

Communis omnium error in eo versatur, quod sicuti in Nosologia factum, ita et in Therapia nunquam naturae morbi, verum magis conspicuo tantum semper phaenomeno suam concesserint attentionem, hincque diversa saepe mala eodem apparatu profligare tentaverint. Veteres, et Recentiores plures ita fecisse supra didicimus.

Certe Veterum sanandi methodum, quae inter alia indicata sua ferrum quoque candens numerat, in tanta nobilissimarum partium vicinia non alios, quam exitiales inducere potuisse effectus, jam Paluccius *pp*) recte advertit.

Recentiorum therapiam, quae ubique in ductus nasalis resarationem, nulla habita reliquarum partium ratione, sua dirigit medicamina, atque neglecta omni miasmatum, contagiorum

et cachexiarum, quae tantum in modificanda organorum lacrymalium mala exercent dominium, consideratione, locali solum utitur apparatu, insufficientem damnosamque declarare nullus nostrum haesitabit.

Violentam per mechanica ductum nasalem restituendi methodum ipse Cel. Richter incusat, quae omni in casu magnis premitur difficultatibus, et memoratorum supra Virorum indicatione suscepta tanto minus optatum potuit praestare effectum, quod nec debito tempore nec modo fuerit instituta, nec post eam organorum lacrymalium roborandorum, atque propriae eorundem, qua lacrymarum muco mixtarum ductio perficitur, actionis restabiliendae cura fuerit; praeterea haec operatio saepe perfecta fuerit, ubi ne indicata quidem extitit. —

Qui universalem medelam locali jungunt, multum omnino praestare valuissent, si, quod Cel. jam Schmidt 99) improbat, soli lacrymarum stillicidio non intenti in singulorum, quae partes has occupant, morborum naturam rectius indagassent, atque complicationum morbi universalium naturam clarius perspexissent.

Nostri aevi chirurgorum mechanicam procedendi rationem, qua fistulae lacrymalis loco

99) Ueber die Krankheiten des Thränenorgans, Wien 1803. in 8.

bleñorrhœam sacci tractant, fistulae generandae potius, quam avertendae parem infra clarius illucescet.

Eruiitur e cunctis, quae hucdum adlata sunt:

- 1) Terminum fistulae lacrymalis nulli morhorum vias lacrymales occupantium convenire.
- 2) Neque apud Veteres, neque Recentiores, nostrique aevi plerosque Auctores veram morborum vias lacrymales occupantium existere notionem, quippe qui plures inter se confundunt, alios uti fistulam sacci lacrymalis aut plane non aut saltem imperfecte nec recto nomine insignitos describunt.
- 3) Eorundem therapiam falsae Nosologiae inhaerentem vanam, damnosamque existere.

Immortalibus Cel. Profess. *Schmidt* et *Beer* in excolenda Ophthalmiatria conatibus solis veram morborum vias lacrymales occupantium debemus notionem, his solis referimus justam eorundem et felici in praxi eventu coronatam medelae rationem. His jam in statuenda morbi notione non amplius symptomatis tantum maxime conspicui, sed causarum, sedis morbi, et cunctorum simul phaenomenorum habetur respectus, atque mixtionis, formae organicae, et vigentis in his actionis vitalis una illustratur status,

Horum meritis singuli morborum lacrymales vias infestantium in sua jura restituti facilius in posterum noscentur et sanabuntur. Exemplum morbus sit, quem in secundo tractatu explanare adgredior.

Tractatus II.

De fistulae sacci lacrymalis natura et
sanatione.

Fistula sacci lacrymalis ulcus sistit membranae pituitariae sacci lacrymalis, canalem formans longiorem, angustum, uno vel pluribus orificiis, quae callosis cinguntur marginibus, instructum.

Distinguitur hac definitione morbus non tantum ab aliis diversis vicinarum partium malis, sed et recta stabilitur eum inter et aegilopem differentia, . magni in therapia momenti. Quam cum e supra adlatis sat noscamus, ad ipsam illico Nosologiam morbi transibimus.

S e c t i o I.

N o s o l o g i a.

Caput primum.

S y m p t o m a t o l o g i a.

Fistula sacci lacrymalis nunquam est morbus primarius, verum semper alterum sistit secundi inflammationis sacci lacrymalis stadii momentum, atque sequentibus se manifestare consuevit phaenomenis:

Imminente eadem tumor sacci lacrymalis durante praevia muci secretionem pathologica generatus volumine augetur, splendet, profunde rubet, atque limitibus circumscriptus notabilem in sui fundo duritiem offert; propagantur mox tumor et durities per palpebram superiorem, dolor torquet pulsans premens, ustionis cum sensu junctus. — Saevientibus his phaenomenis distinctior evadit fluctuatio, et in medio tumoris laxum, molle et flavicans elevatur punctum, quod ni artis interventu mox aperiatur, naturae moliminum effectum demum rumpitur, atque vel foras per musculum orbicularem aperitur, vel introrsum per os lacrymale, ast rarissime, et solum praesente inflammatione sympathica viam pandit, pusque suum exonerat.

Dum foras aperitur multiplex obtingere casus potest: aliquando apertura cutanea illi sacculi lacrymalis perfecte respondet, alias fistula inter musculos et saccum spatium aliquod percurrit, donec in cutem extendatur. Non raro plures formantur aperturae fistulares, pusque diversis canaliculis jam superficialiter, jam vero profundius sub cute decurrentibus in eandem transmittitur.

Rupto naturae viribus abscessu tumor, tensio, rubor et durities minuuntur; penitus disparere ex eo non possunt, quod crassior puris portio per exiguam, quae adest, aperturam fistularem excerni nequeat. Durante longius morbo, praeprimis si inflammatio idiopathica praegressa fuit, compressus digito saccus praeter pus muco mixtum puras per orificium fistulare lacrymas fundit, manifesto signo, functionem papillarum et canaliculorum lacrymalium jam restitui.

Si tamen morbus adultior evadat, penitus negligitur, perverse tractatur, aut et cum prava subjecti constitutione incedit, aliorum quoque symptomatum morbosorum stipatur caterva. Huc recensenda est:

1) *Caries ossis lacrymalis et vicinorum.* Complicationi huic in longius tempus excurrenti, aliquando et ductus nasalis sociatur concretio, in longe plurimis tamen casibus is penitus destructus invenitur. Pus muco unitum sub hoc malo

ex apertura fistulari exigua tantum quantitate promanat, vicina autem cutis regio laxitatem notabilem, rubro caerulescentem colorem, et similes quandoque maculas offert; ex orificio fistulari fungosae levantur excrescentiae, quae sanguinem fundunt; immissum specillum nudam, asperam et inaequalem mox detegit superficiem cariosam. Alteram complicationem sistit:

2) *Occlusio ductus nasalis*

a) *Per tumorem plicae valvulosae*, qua ductus nasalis in cava narium aperitur vel solius, vel praesente simul tumore totius internae utriculi lacrymalis membranae.

Mucus puri mixtus hoc in casu per angustatas vias lacrymales in cava narium effundi nequit, hinc morbose colligitur; quod autem eo magis obtinet, quia simul aeger ob nimiam sacci lacrymalis sensibilitatem omnem materiei contentae evacuationem sive per canaliculos lacrymales sive et per ductum nasalem penitus abhorret. Collectio muci eo loco facillime contingit, quo materiae distendenti minima opponitur resistentia, cum vero id in anteriore sacci lacrymalis pariete tegmento osseo destituto obversetur, hic quoque mox cunctas distensionis ferre cogetur molestias, tanto quidem in gradu, ut demum herniosus, quin et varicosus evadat. Occluditur alias ductus nasalis

b) *per plenariam concretionem, aut saltem*

conglutinationem suorum parietum, et plicae. Praesente hoc phaenomeno nihil de muco purulento itidem in narium cava extruditur, atque ideo paries anterior sacci lacrymalis eodem modo extenditur, et tandem non raro herniosus fit.

Caput secundum.

Aetiologia.

Cum fistula sacci lacrymalis ulcus sit e supuratione idiopathica, aut sympathica neglecta, aut male tractata, adeoque corrupta ortum, omnis autem suppuratio bona, uti e praemonstratis liquet, illum sistat naturae nisum extraordinarium, quo haec partes processus morborum actione corruptas eliminare, atque novis, quae in oeconomiae animalis usum congruae sunt, permutare contendit, suapte venit conclusio, qua ad communem cujuslibet fistulae sacci lacrymalis fontem ducimur, qui in evigilante quidem nisu reproductivo extraordinario, sed e rationibus notatis interrupto, merito venit reponendus.

Nisus hic, uti e supra adlatis colligitur, nunquam in lucem prodit, nisi corruptio materiae organicae e processu inflammatorio emergens fuerit praegressa.

Ast, cui nisus reproductivi augmentum et suppuratio debentur, inflammatio non ejus-

dem semper naturae, diversae quandoque originis ac intensiōis est, et tamen memorata phaenomena evolvuntur, quae licet specialibus quibusdam differant modificationibus, in generali tamen caractere suo conveniunt, et similem ubivis sistunt naturae nisum, utut hic ob diversam suam, quam in organismum exerit potestatem, non eodem semper coronetur eventu.

Atque hujus asserti veritas vel maxime illucescit, ubi in fistulam sacci lacrymalis, quae mox primariae sacci ipsius inflammationi, mox anchylopi erysipelatoso secundario in eum agenti, et quidem mox idiopathice, mox sympathice indutis suam refert existentiam, nostram paulisper accuratius dirigimus considerationem.

Ut tamen haec magis intelligantur, atque remotorum simul fistulae sacci lacrymalis momentorum causalium pateat ratio, congruum erit hoc loco, in genesin harum inflammationum uberius aliquantum inquirere. In qualibet earum tam disponentia, quam et excitantia nobis se offerunt momenta.

I. *In inflammationem sacci lacrymalis veram*

A. *idiopathicam*, quae in sano praevis organismo evolvitur, *dispositionem* largiuntur: aetas juvenilis et virilis, sexusque foemineus, praecipuis tempore pubertatis et catameniorum silentium. Fovet hanc dispositionem ipsa tenera membranae pituitariae internae et membranae

fibrosae externae sacci lacrymalis structura, quae secum fert, ut potentiis externis, majori aliquantum violentia in has partes saevientibus non opponatur sufficiens resistentia.

Ad *potentias excitantes* pertinent vulnera et contusiones, quae teste multiplici experientia sola fere idiopathicae inflammationis ejus organi sistunt momenta causalia externa.

B. In *Sympathicam* sacci lacrymalis inflammationem, quae semper labem praeviam organismi supponit, proclivitatem concedunt:

- 1) Morbi contagiosi, inter quos variolae, morbilli, scarlatina principem occupant locum.
- 2) Morbi miasmatici, syphilis et psora, qui tamen plerumque connubium
- 3) Cachexiarum rachitidis, scrophulae et arthritidis, malorum inflammationi memoratae per se jam faventium, requirunt, sine ut in eam portendant dispositionem.

Cunctis hisce morbis magna cutaneo systemati debilitas cum notabili sensibilitatis conciliatur augmento (quem statum defunctus Professor *Schmidt* vulnerabilitatem propriam cutis denominare consuevit) quo ipso etiam fit, ut potentiis externis in organismum agentibus organon cutaneum minorem opponat reagendi facultatem, atque hoc pacto primas illico nimiae earundem actionis ferre cogatur molestias.

Non tamen hae diu ad solam cutem proprie sic dictam, seu integumenta communia restrictae manebunt, mox enim ob sensibilitatis, quae in membrana mucosa narium et sacci lacrymalis viget, respectu cutaneae proportionem maiorem, actio miasmatica organi cutanei, quae per vim productivam impotentem figi nequit, super membranas dictas, quae nihil aliud, quam continuatio integumentorum communium sunt, extendetur, atque factorum vitalium ad invicem rationem in his partibus ita turbabit, ut paulo post inflammationis compareant vestigia.

Quoniam vero sensibilitas adaucta cum debilitate systematis cutanei initio, et in fine morborum miasmaticorum et contagiosorum quam maxime redditur conspicua, facile perspicitur, cur hoc quoque tempore maxima in inflammationes sacci lacrymalis detur proclivitas.

Excitantia momenta inflammationis sacci lacrymalis verae sympathicae sistunt omnes potentiae, quae dispositione in hoc malum vigente reproductionis vim ita frangunt, ut systematum in organo illo conflictus exoriri debeat. Huc spectant:

- 1) Aer frigidus humidus, vicissitudini obnoxius, aut praedominio alterutrius suae partis essentialis infestus; gasibus mephiticis, aut exhalationibus noxiis refertus.
- 2) Incongrua remedia plagae miasmaticae ap-

plicita, praeprimis pinguis et saturnina, quibus vis reproductiva subito deprimitur.

II. Inflammatio erysipelatosae ad canthum oculi internum, seu anchylops erysipelatosus

A. *idiopathica* ratione comparet in subjectis organo cutis vulnerabili sic dicto praeditis, in erysipelas proclivibus, quorum cutis tenera, genae roseae, vasculis tenuissimis perreptatae observantur. Evolvitur etiam post praegressum fletum diuturnum, praeprimis si repentina vicissitudo aeris intercurrat, item post puncturam apum, vesparum, aliorumque hujus ordinis insectorum.

B. *Sympathica* occurrit haec inflammatio in subjectis scrophulosis, rachiticis, syphiliticis, et contagioso malo praevis detentis, sub accessu potentiarum externarum nocentium, quae inflammationi erysipelatosae favent.

Atque praemissis nunc momentis causalibus, et verae sacci lacymalis inflammationis et anchylopi erysipelatosi, quoniam certum est his ulcus et fistulam non necessario succedere, interest paucis illas complecti conditiones, quibus memoratae inflammationes ita determinantur, ut in ea mala abire cogantur.

Imprimis tamen notandum: nunquam ulcus fistulosum prius formari, quam primum secundi inflammationis sacci lacrymalis stadii momentum nempe blenorrhoea fuerit praegressa.

Praegressa vero hac evolvitur:

I. Ex inflammatione sacci lacrymalis vera
A. idiopathica

1. Si in secundo stadio inflammationis puri muco unito et in sacco lacrymali collecto ope artis exitus non paratur.
2. Si vigente bleñorrhoea sacci lacrymalis habituali recens generetur per morbosos influxus organi hujus inflammatio. Inducta jam per bleñorrhoeam debilitas directa, sub hac repente in suppurationem transiliet, atque ulceris fistulosi ludet phaenomenis.

Facillime vero id continget, si durante bleñorrhoea habituali perversa adhibeantur remedia, si praesens hoc in stadii secundi momento tumor ad canthum oculi internum pravo consilio cultri ope aperiatur, si mechanicis illius tentetur per compressionem abolitio, si expressio muci negligatur, aut rudi manu instituatur. Omnibus his in casibus invitatur recens inflammatio, quae in ulcus fistulosum vergit, et necessario semper vergere debet. Patetque hinc, quantum in producenda fistula sacci lacrymalis ipsi plerumque, qui ei tollendae operam impendebant, omni fere aevo extiterint, causale momentum. Si etenim sanandi methodos, quibus usi sunt, et hodie quoque multi utuntur Artisperiti, accuratius perlustremus; vix injuriae factae culpam nos incurrisse credimus, si tot fere numerus fistulae sacci lacrymalis potentias exci-

stantes, quot medelae rationes apud diversos existunt Auctores. Certe omnes, quae morbum hunc ferro candente, chemicis, mechanicisque vincere contendunt, curae modificationes aequae damnosae sunt, ac illae, quae ubique ductus nasalis occlusionem ut princeps morbi phaenomenon contemplantur, hancque prae omnibus levare intendunt.

Immo, ni omnis fallat experientia, ars prava est, aut infausta saltem adjuncta, quae veram, idiopathicamque sacci lacrymalis inflammationem in fistulosam suppurationem conjicere valent, de natura sua enim illa in hanc nunquam, aut solum non adeo facile tendit.

B. *Sympathica* sacci lacrymalis inflammatio in fistulosam suppurationem vergit:

1. Per defectum moliminum naturae medicatricis salubrium, quo fit, ut corruptio materiae organicae, quam inflammatio minatur, arceri nequeat. Evenit autem id:

a. In subjectis multum debilibus, textu celluloso inflato, pedibus oedematosi, carne musculari laxa, facie labiisque pallidis, constitutione corporis tenera. Exurgente hoc in casu inter systema irritabile et productivum conflictu aequilibrium non aliter, quam inducta praevie materiae corruptione poterit restitui.

b. Idem contingit, si bleñorrhoeae ex in-

inflammatione sympathica praegressa remanenti sub accessu recentis morbi miasmatici aut contagiosi nova superveniat inflammatio: quod inprimis observatur, ubi bleñorrhoea e morbo vario-
loso remanet, et morbilli serius infestant, aut scarlatina.

2. Alias ars fistulae sacci lacrymalis post inflammationem sympathicam exortae gerit culpam: si idem, quod in idiopathica explosum fuit, obtineat morbi tractamen. In scrophulosis hoc quam frequentissime *Cel. Profess. Beer*, et defunctus *Profess. Schmidt* ita factum conspexerunt.

II. *Inflammatiō erysipelatosā ad canthum oculi internum* (seu anchylops erysipelatosus) in fistulam sacci lacrymalis terminatur

- A. *idiopathica*, si processus inflammatorius in primo stadio jam saccum lacrymale corripuit, tunc enim in altero bleñorrhoea ingruit, at mucus nec per puncta lacrymalia, nec per ductum nasalem potest exprimi, verum saccum lacrymale antrorsum extendit; eodem tempore in suppurationem versus anchylops laxatum et debilem sacci lacrymalis parietem anteriorem perforat, atque in hunc pus suum effundit, patente simul extrorsum orificio fistulari.

- B. *Sympathicus* de natura sua libenter in

suppurationem fistulosam nititur anchylops, praeprimis in subjectis scrophulosis aut syphiliticis, in quibus illa non raro malorum semet excipientium series est, ut primo inflammatio membranae mucosae narium, dein sacci lacrymalis, tandemque anchylops erysipelatosus inducatur, quem pessima suppuratio cariei juncta per vicina ossa late saevienti passim excipere solet.

Utroque in casu multum acceleratur fistulae evolutio, si ars prava intercurrat.

Expositis hucdum generalibus fistulae sacci lacrymalis momentis causalibus, specialia quibus diversae ejusdem ponuntur modificationes, adduxisse juvabit.

Novimus ante omnia aperturam fistularem cutaneam illi sacci lacrymalis non semper respondere, aut plures quandoque simul adesse ductus fistulosos. Evenit hoc:

1. Post inflammationem sacci lacrymalis veram idiopathicam, si cutis saccum tegens crassa, dura, difficulter penetranda existat, aut tumoris fluctuantis solutio artificialis, ubi indicata est, negligatur.
2. Post inflammationem sacci lacrymalis sympathicam, aut et anchylopem erysipelatosum, in quibus regio cutanea ad canthum internum multum corrupta invenitur.

Fistula sacci lacrymalis cariei ossis lacrymalis et vicinorum juncta obvenit :

1. Sub omni dispositione subjecti, si potentiae externae tanta in has partes egerint violentia, ut organisationis ossium alienationem produxerint.
2. Dum in subjectis scrophulosis et syphiliticis saccus lacrymalis jam fistulosus penitus negligitur, aut. si ejusmodi aegris per potentias irritantes, pravamque artem repetitae inducantur sacci lacrymalis inflammationes, his tandem fistula pessimae cariei juncta subsequetur.
3. Si in subjectis syphiliticis anchylops erysipelatosus formatur, et ex omni parte negligitur, vel male tractatur. Hoc quoque in casu mali moris fistulam sacci lacrymalis comitabitur caries, eo deterior, quod morbus syphiliticus per se jam in ossium corruptionem valde nititur.

Fistula sacci lacrymalis occlusioni ductus juncta et quidem

1. Ductui nasali penitus impervio, quin atresia subversetur, unita occurrit:
 - a. Post praegressam inflammationem vehementem, in cujus stadio altero membrana interna sacci lacrymalis valde tumet, si paries anterior durante hoc phaenome-

no sponte rumpitur, aut inepta arte aperitur.

b. Post inflammationem sympathicam hemorrhoeae sacci lacrymalis supervenientem; praeprimis, si id repetitis vicibus contingat; tunc enim praeter recens productam fistulam magna quoque inducitur membranae pituitariae sacci lacrymalis et ductus nasalis intumescencia, et non raro induratio vera, sicque luminis ejusdem magna imminutio aut sublatio.

c. Si saccus lacrymalis vigente inflammatione ope compressorii comprimatur, aut per puncta lacrymalia solutiones chemicae irritantes injiciantur.

2. *Fistula cum plenaria ductus nasalis atresia exurgit:*

a. Sub nimis vehemente in subjecto athletico, robusto totius utriculi lacrymalis inflammatione, qua vigente materiae albuminosa-fibrosae uberior effusio, et cavi ductus nasalis abolitio contingit, saccus vero lacrymalis adhuc superstes per accumulatam materiem mucoso-purulentam extenditur, atque non accedente arte in suppurationem abit fistulosam.

b. Post repetitas in subjectis cachecticis, inprimis vero scrophulosis, praegressae

bleñorrhoeae supervenientes sacci lacrymalis inflammationes vehementiores: hoc enim in casu praesente jam tumore internae ductus nasalis membranae eo facilius parietes ejusdem, alioquin in contractum positi, perfecte conglutinantur. Si nunc papillarum et canaliculorum lacrymalium functio persistat, saccus autem abolitus non sit, lacrymae ad eum deductae, mucoque mixtae parietem illius anteriorem extendent, huic laxitatem, magnamque debilitatem conciliabunt, quae accedente minima quavis causa, aut prava arte recentis inflammationis mox in ulcus fistulosum transeuntis promovebit evolutionem.

- c. Ulcera membranae mucosae ductus nasalis praesentibus variolis, aut et durante malo syphilitico aequè occlusionem illius plenariam gignere valent. Notandum tamen hanc nunquam durante exulceratione, verum semper instante cicatrisatione formari, manifesto signo, nimis vividam, ast innormalem reproductionem in culpa esse. Vigente hac ductus nasalis atresia, saevienteque simul morbo varioloso aut syphilitico, per stimulos mechanicos aut chemicos irritantes facile sac-

ci lacrymalis inflammatio nova, et post hanc suppuratio fistulosa provocatur.

Atque pertractatis nunc Symptomatologia et Aetiologia fistulae sacci lacrymalis ad divisionem ejusdem accedemus.

Caput tertium.

Divisiones fistulae sacci lacrymalis,

Fistulae sacci lacrymalis quatuor novimus divisiones.

Prima et princeps obtinet in veram et spuriam.

Veræ nomine insignimus illam, quæ prægressæ sacci lacrymalis inflammationi primariae debetur, atque alterius ejusdem stadii secundum sistit momentum; pus fundit, in ipso sacco lacrymali generatum.

Spuria dicitur, quæ ex inflammatione sacci lacrymalis secundaria, atque per prægressum anchylopem erysipelatosum, inducta petit originem; pus non in ipso sacco progenitum, verum ex abscessu cutaneo in eum effusum manifestat.

Altera fistulae sacci lacrymalis divisio fit in *idiopathicam* et *sympathicam*; prior ex inflammatione idiopathica, posterior e sympathica procedit.

Tertia fit in *simplicem* et *complicatam*.

Simplex audit, in qua orificium fistulare cutaneum illi sacci lacrymalis perfecte respondet i. e. e regione ponitur.

Complicata vero appellatur, quae aperturam fistularem cutaneam plus minus remoto ab illa sacci lacrymalis gerit loco, aut ubi plura orificia fistularia in cute aperiuntur, quae simulae pars coeca sacci lacrymalis digiti experitur pressionem, mucum purulentum ex omnibus suis emittunt osculis.

Ultima fistulae sacci lacrymalis divisio fit in *puram* et *mixtam*.

Pura nullo laterali nec ipsius sacci nec partium vicinarum stipatur malo.

Mixtae nomine venit, quae aut ipsum saccum lacrymalem pluribus simul morbis laborantem offert, aut partes ei contiguas labe quadam correptas exhibet. Praecipuas fistulae mixtae formas sequentes nos edocuit experientia:

1. Cum carie ossis lacrymalis et vicinorum.

2. Cum occlusionem ductus nasalis *plenaria*

a. ex intumescencia membranae pituitariae ejusdem plenaria vel et partiali per mucum ductum eum angustatum infarciemtem; hic casus frequentissimus est.

b. ex atresia ductus nasalis medio exsudatae lymphae eoagulabilis

α. plenaria,

β. partiali.

S e c t i o I I .

Therapia fistulae sacci lacry- malis.

Caput primum.

P r o g n o s i s .

Fistulae sacci lacrymalis, prouti et cujuslibet alterius morbi, prognosis rationalis fundatur in exacta terminationum morbi consideratione, et majori minorive earundem in casu individuo probabilitate: unde haec momenta perpendamus oportet, antequam de morbi eventu futuro depromamus judicium.

Potest autem terminari fistula sacci lacrymalis aut in sanitatem aut in alia mala; per se nunquam abit in mortem.

I. *Sanitatem auspicatur medicus:*

1. Si subjectum nullam praeseferat universalem organismi labem nec miasmaticam, nec contagiosam, nec cachecticam, aut si haec etiam adsit, tam profundas nondum egit radices, ut apta therapia devinci non posset.
2. Si causa morbi levior organisationis vitium non induxerit, aut hoc inductum licet, tolli queat.

3. Si morbus ipse levis, simplex, recens, decursus normalis, non neglectus, neque perversis tentatus mediis.

Modi, quibus sanitatis contingit restitutio, duo sunt: naturae quippe molimina sola, vel accedens simul artis salubre auxilium, impotentes naturae vires suffulciens.

Solis naturae viribus profligatur fistula sacci lacrymalis vera, idiopathica, simplex et pura sub decursu sequentium phaenomenorum: Durante aliquamdiu suppurationis momento minui primum incipit, evanescit serius puris generatio, hancque qualis in tertio stadii alterius momento omnium, quas membranae mucosae ferunt, inflammationum solet, pathologica excipit muci secretio. [Mucus comparèt albicans, crassus, opacus, puri aliquantum analogus, colligiturque tanta in sacco lacrymali copia, ut intra turundam, quae hujus occludit aperturam, extricetur, eamque una cum emplastro, quod desuper positum fuit, semoveat: nam in cava narium eliminari nequit, partim ob justo majorem, quam tuetur consistentiam, partim ob tumorem membranae mucosae, quo ductus nasalis imperius redditus fuit. Tandem, ni prava intercurrat medela, hoc quoque alterius stadii momentum silet, membranae mucosae tumor et ductus nasalis occlusio levantur, mucus denuo justa quantitate secretus in narium cava defertur,

albuminis ad instar transparet, tenax est, atque albis aliquo tempore intertextitur striis; his quoque phaenomenis demum disparentibus tenuior, lacrymis perfecte mixtus observatur, nisi functio punctorum, et canaliculorum lacrymalium extiterit turbata.

Apertura fistularis sanatur nunc viribus naturae (juvante nonnunquam et arte) ad exiguum capillare orificium, e quo mucus lacrymis mixtus protruditur pellucidissimus forma guttulae exiguae, etiamsi liber in narium cava pateat transitus. Sanato hoc orificio mucus interdum lacrymis unitus in sacco lacrymali parva copia colligitur, quia per praegressam inflammationem sacci lacrymalis infracta vis illa fuit, quae eum una cum lacrymis solito modo in nares expellere deberet. Quapropter interdum nonnunquam ope digiti per ductum nasalem jam apertum exprimi debet, sine, ut prava evitentur consectoria, donec plenaria restituatur sanitas.

Artis auxilium requirit fistula sacci lacrymalis vera, idiopathicae inflammationi subsecuta, si inveterata, aut perverse tractata fuit, sympathica item, spuria, complicata et mixta. Reditus in sanitatem hoc in casu difficilior semper est, multisque stipatus molestiis, ipsa mala secundaria longe difficiliter evitantur, ac priori in casu.

Ex iis, quae inflammationi sympathicae debentur, fistulis difficillime sanantur, quibus scrophulosus aut syphiliticus morbus praebuit dispositionem.

II. *Alia mala succedunt fistulis sacci lacrymalis :*

1. quae in subjectis occurrunt labe organismi totius notabili detentis;
2. quae e causis gravioribus structuram organicam viarum lacrymalium laedentibus profluunt;
3. quae mixtae sunt, inveteratae, penitus neglectae, perversis tractatae, atque magnam vicinarum partium devastationem comitem habent.

Sunt autem vitia, quae fistulis hisce succedunt, diversa.

Levissimum, fistulae non raro proprium vitium est *permanens aliquamdiu papillarum et ductuum lacrymalium atonia*, qua fit, ut lacrymalis humor in vias suas non assumtus per genas stillet; dicitur id phaenomenon *stillicidium lacrymarum*, et ab *epiphora* seu adaucta lacrymarum secretionem sollicite distingui debet. Vitium hoc serius sensim evanescit.

Aliud omnem fistulam sacci lacrymalis excipiens malum est *conspicua ad canthum oculi internum cicatrix*, quae, si sub decursu suppurationis pars organi lacrymalis deferens jacturam

notabilem perpessa non est, plus formae quam functioni cuidam infesta est.

Sed graviora quoque existunt mala secundaria:

Huc referuntur :

1. Ossis lacrymalis, turbinatorum et reliquorum, quae in vicina viarum lacrymas deferentium regione comparent, per cariem deformatio. Licet exfoliatio congruis remediis saepe obtineatur, nunquam tamen viarum lacrymalium status normalis amplius restitui potest, et si nullum aliud vitium, saltem perenne lacrymarum remanebit stillicidium. Quam pessima vero caries haec est, ubi in syphilitico subjecto et praegresso anchylope erysipelatoso evolvitur.
2. Perfecta sacci lacrymalis medio praegressae inflammationis abolitio, [quam ob lacrymarum ad destinatum sibi a natura locum delationem impeditam stillicidium perenne et narium ex affecta parte siccitas comitatur.
3. Canaliculorum lacrymalium simul cum ductus nasalis cavitate oclusio sive per reliquias muci et puris tenacissimas, tumoremque membranae internae, sive per exsudatam lympham id contingat, ubi interea membranae [mucosae sacci lacrymalis functio continuat. In hoc casu, cum mucus recenter secretus nec per vasa resorbentia

in circulum humorum sufficienter recipiatur, neque per puncta lacrymalia aut ductum nasalem evacuari possit, anteriorem osse non obtectam partem sacci lacrymalis extendit in tumorem fabae formam referentem, indolentem, tensivum, digito non cedentem, coloris cuti analogi, qui status *hydrops sacci lacrymalis* vocatur. Si nunc mucus diu inclusus haereat, subjectum vero ceteroquin bene constitutum sit, diffolata parte sui tenuissima atque vasis absorbentibus tradita, residua solidiorem adquirent consistentiam, brunescenti imbuatur colore, atque semicoagulatae scriniariorum massae glutinosae analogam exhibet gelatinam, qua cutis supra sacco constituta in album primo, caeruleum tandem vergit colorem, malumque evolvitur, cui *Varicis sacci lacrymalis* nomen Cel. Professor *Schmidt* imposuit, licet a varice omni ex parte differat. Nam varix venae angularis eo loco interdum comparens

- a. Comprimi potest, et pro hoc momento evanescit.
- b. Capite antrorsum inclinato volumine augetur.
- c. In vicina regione varicositas venarum, aut saltem dispositio in illam observatur.

Momenta, quae in hydrope sacci lacrymalis penitus desiderantur. Denique

4. *Perfecta solius ductus nasalis atresia* etiam non raro fistulam sacci lacrymalis excipere solet, obtinetque post repetitas in subjectis scrophulosis bleñorrhoea sacci laborantibus ejusdem organi, ductusque nasalis inflammationes: sub his enim tumentes internae ductus nasalis membranae parietes tandem concresecunt. Si praesente hac concrectione aeger saccum lacrymalem muco scatentem sufficienter non evacuet, is tandem nimia quantitate collectus parietem anteriorem sacci in dies magis dilatat, qui in posterum facta licet diligenti expressione non amplius in normalem redibit statum, verum perstante anterioris parietis laxitate morbum exhibebit, qui *herniae sacci lacrymalis* nomine Cel. Prof. *Beer* appellatur, atque ab hydrope ejusdem organi sollicitè distinguitur. Inspissatus sensim mucus hoc quoque in casu hydropem sacci lacrymalis inducere potest.

Caput secundum.

Methodus medendi fistulae sacci lacrymalis.

Sanatio fistulae sacci lacrymalis absolvitur eadem prorsus ac ea cujuslibet alterius fistulae

medendi ratione: mutatur nempe fistula in ulcus apertum, sanaturque dein ad leges therapiae ulcerum.

Primum semper, quod Medicus curam fistulae adgressurus observare debet est, ut exacte inquirat, an ea vera an spuria, an idiopathicae an vero sympathicae inflammationis progenies occurrat.

Si vera est, et idiopathica, quod ipsum e computata anamnesi, signis praesentibus, et tentamine ope specilli tenuioris ex osse sepiae vel argento parati, quo ductus fistulosus tentatur, innotescit, videndum est an simplex sit, an vero complicata,

Si ob angustiam fistulosi ductus specillum neque osseum, neque argenteum fundum sinus fistulosi attingere valeret, tenuissimum spongiae pressae frustulum praevie intrudendum est, quo sic ejusdem obtineatur dilatatio. Facta hac inditur specillum, indagatur status morbi, atque eo in aperto locato:

Si fistula simplex esset, apice lanceolae immisso margo callosus utrinque transcenditur, fistulaeque hoc pacto ampliatur orificium, in quod nunc molle carptum Laudano liquido Sydenhami imbutum ea ratione mittitur, ut in saccum lacrymalem ipsum promineat quidem, non tamen eundem expleat vel infarciat; superponitur stratum emplastri diachyli compositi, huic vero ca-

taplasma emolliens e hb. cicutaë et saponariae lacte coctis, addito camphorae rasae pauxillo.

Sub usu horum remediorum brevi disparet callus ductum fistulosum apertum ambiens; ulcus nunc ut simplex aliud tractatur, atque cataplasmata memorata eousque in usum trahuntur, quoad nullum amplius duritiei restiterit vestigium. Tunc demum, et silente jam suppuratione secretio muci pathologica stipticis et incitantibus mediis venit impugnanda; in quorum numero solutioni Lapidis divini Laudano liquido Sydenhami mixtae, quae saepius de die guttatim cantho oculi interno instillatur, et semel de die in ipsum saccum lacrymalem ope syringae injicitur multiplici experientia ducti, principem damus locum.

Si fistula sacci lacrymalis complicata occurrat, diligenter inquirendum est in directionem ductuam fistularium, qui, si nimis forent angusti, atque specillo aditum negarent, cereolis tenuibus e spongia pressa formatis veniunt dilatandi. Observandum simul est an superficialem, an profundum habeant decursum.

Si superficiales decurrant, quod partim ex elevatis rubris, ab apertura fistulari cutanea ad saccum lacrymalem procedentibus, multumque sensibilibus striis, partim vero ex indagatione ope specilli cognoscitur; per omnem suum de-

cursum tenui cultro *rr*) huic scopo adaptato usque ad saccum lacrymalem transcendendi, apertura fistulosa vero methodo, quam ubi de fistula simplici loquebar, memoravi, amplianda est.

Si unus alterve, aut plures quoque ductus fistulosi tam profundum observent decursum, ut sub discissione eorum musculis, nervis, vasisque notabilis inferri posset laesio; spongia pressa praevis dilatandi sunt, immittitur dein specillum argenteum vel aureum tenue solidum usque ad orificium fistulosum ipsius sacci lacrymalis, cutis hoc loco specilli capitulo elevata inciditur, atque ductus fistulosus ex utroque fine nunc apertus, ut ulcus aliud apertum callosum injectionibus et cataplasmatibus tractatur. Mundatis per iteratas Laudani liquidi Sydenhami injectiones ductibus fistulosis uno alterove modo apertis superponantur nunc Cataplasmata eadem, quae post incisam fistulam simplicem jam commendata fuere, quoad omnis evanuerit durties; tunc demum apta compressione acceleretur cicatricis efformatio in sinibus fistulosis; ulceri sacci lacrymalis eadem fit medela, quae in fistula simplici.

Si ductus fistulosus tam profundas egit radices, ut os supra quo decurrit, denudetur, et ca-

rie corripitur, aut si haec plane in osseo duotu, quem saccus lacrymalis permeat, instare abserve-
tur, quod quidem e caeruleo rubris in cute eo
loci maculis, item e laxitate ejusdem partis, et
carnis fungosae praesentia, haemorrhagia passi-
va, et indagatione ope specilli innotescit, omnis
eo adlaboret cura, ut apto localium remediorum
usu, inter quae asa foetida et myrrha partim so-
lutae forma injectionis, partim vero solidae pul-
tis forma ope turundae sacco lacrymali inductae
eminent, quantocius fieri potest, caries proflige-
tur. Interna remedia in toto hoc morbi decursu
non requiruntur, nihilque hoc intuitu faciendum,
quam ut reliqui organismi status normalis apto
diaeteticorum usu sustineatur.

Ubi fistula sacci lacrymalis vera ex inflam-
matione sympathica hujus organi suam duxit
originem, locale tractamen solum nullatenus suf-
ficit, quin immo in aegri damnum quandoque adhi-
betur, internis etiam tunc pro morbi universa-
lis ratione diversis uti convenit remediis, topica
cura simul non neglecta. Hic ille locus est, quo
antiscrophulosis, antisymphiliticis, antarthriticis,
revellenti item et derivanti methodo suos compe-
tit honos. De quibus tamen uberius loqui haud
necesse duco, cum non aliud, quam speciale sis-
tunt universalium morborum tractamen. Relego
hinc Lectores ad tractatum Cel. Prof. Beer, jam
alibi memoratum,

Fistula sacci lacrymalis spuria vetat omne superfluum sacci lacrymalis ope exploratorum aut injectionum tentamen. In horum locum sufficit aquam tepidam Laudano liquido Sydenhami saturatam semel quavis die depurationis obtinendae scopo caute injicere, praeterea linteolum carptum eodem liquido imbutum ita intrudere, ut in saccum lacrymalem non promineat, secus ulceris impeditur sanatio. Si consolidato abscessu et ulcere bleñorrhoea sacci lacrymalis perduret, ea methodo supra adlata ad sui sanationem ducatur. Si vero labes universalis aut caries ossium (lacrymalis et vicinorum) obversetur, eadem ac in fistula sacci lacrymalis vera dictum, ratione est procedendum.

Ad sanationem vergente nunc fistula, lacrymarum in narium cavum delatio jam restituitur, jam vero non restituitur.

Primum obtinet, si viarum lacrymas deferentium occlusio aut membranae internae parietum tumori, aut laxitati mucque collectioni leviori debetur. Omni hoc in casu ad finem vergente suppuratione redit tandem normalis lacrymarum absorbtio, mucus diluitur, tumor parie-

tum evanescit, laxitas eorum corrigitur, atque lacrymarum muco mixtarum in narium cavum transitus restauratur. Nunquam tamen id repente, verum lento semper passu procedit, atque subvigente jam lacrymarum in nares exoneratione, continuo tamen adhuc pars fluidi per puncta et canaliculos lacrymales exprimitur, donec tandem normalis restabiliatur status.

Alias viarum lacrymas deferentium functio non recurrit atque tunc vel mucus spissus infarciens, vel tumor membranae pituitariae sacci lacrymalis et ductus nasalis sat durus, aut granulosis, vel exsudata lymphâ coagulabilis, adeoque vera atresia mali culpam gerunt.

Diligentem hinc Medicus impendat operam, ut certitudo aquiratur unus ne vel alter subsit casus? quo sic determinetur an lacrymalium viarum status normalis restitui queat, nec ne? An item artis per operationem ex abusu sic dictam fistulae lacrymalis interventus necessarius sit? Quam vero indagationem sollicitam et operationem ductus nasalis, cum nec ad fistulae ipsius sanationem proprie spectet, nec post eam semper indicata sit, quin immo in casibus quoque institui debet, ubi nullum fistulae subversatur vestigium, uti v. g. in hydrope sacci lacrymalis: operationis fistulae nomine indignam existimo, atque ad viarum lacrymalium morbos, qui eam pe-

tunt, et alterius opusculi sistens objectum, re-
lego.


Nec existit operatio ita proprie dicenda, ni-
si ductuum fistularium discissionem et ipsiusul-
ceris sacoi callosi dilatationem eo termino insi-
gniri velis,

T h e s e s,


1. Lux et duplex electricitas principes in natura ludunt scenas.
2. Electricitas una (+) cum aqua oxygenium, altera (—) cum eadem hydrogenium constituit.
3. Ambae unitae Caloricum ponunt.
4. Oxygenium non est causa aciditatis.
5. Vegetatio et putrefactio polis tantum differunt inversis.
6. *Nulla in rerum natura mors.*
7. Obtinet generatio¹ aequivoca.
8. Vis, quae organismum generat, eundem et conservat.
9. Existentia vis medicatrix superfluum non redit Medicinam.
10. Sensibilitas exaltata tam cum languore, quam et cum exorbitantia actionis vitalis subsistere potest.
11. Narcotica directe debilitant.
12. Cujuslibet febris initium adaucta virium vitalium reactio stipat.

13. Existit status virium suppressarum.
 14. Febres nervosae a putridis natura differunt.
 15. In apoplexia serosa venaesectio subinde salutifera.
 16. Rationale negativum post operationes chirurgicas tractamen magni momenti.
 17. Canaliculi lacrymales aequae ac utriculus lacrymalis carent fibris muscularibus.
 18. Terminus fistulae lacrymalis nulli morborum vias lacrymales occupantium convenit.
 19. Fistula sacci lacrymalis semper in praegressa hujus organi inflammatione fundatur.
 20. Datur Amaurosis antiphlogisticis sananda.
-









UB Med Uni Wien



+AM273346804



www.books2ebooks.eu